





17720  
16

DE  
**NVCIS VOMICAE**  
ET  
**CORTICIS HIPPOCASTANI**  
VIRTUTE MEDICA

PRAE S I D E  
**D. IOANNE PETRO EBERHARDO**

MEDIC. PHILOS. NAT. ET MATHES. PROFESS. PVBL. ORDIN.  
ACADEM. IMPER. NAT. CVRIOS. ADIVNCTO,  
ACADEM. ELECTOR. MOGVNT. SCIENT. VTIL. SODALI  
ET SOCIET. TEVT. JENENS. MEMBR. HONORARIO,

PRO  
**G R A D V   D O C T O R I S**  
LEGITIME IMPETRANDO

D. OCTOBR. M D C C L X X.

P V B L I C E D I S P U T A B I T

A V C T O R

**PHILIPPVS CASPAR JVNGHANSS**  
ROEMHILDA FRANCVS.

---

HALAE

STANNO HENDELIANO.



ILLVSTRISSIMO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO IOSEPHO**  
**MAXIMILIANO**  
**LIBERO BARONI**  
DE  
**FVRST ET KVPFERBERG**

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
STATVS ATQVE IVSTITIAE ADMINISTRO INTIMO  
SVPREMO SVMMI TRIBVNALIS PRAESIDI  
RERVM FEVDALIVM SVMMO DIRECTORI  
ET  
OMNIVM REGIARVM VNIVERSITATVM CVRATORI SVPREMO

**DOMINO ET MAECENATI SVO**  
**GRATIOSISSIMO INDVLGENTISSIMO QVE**


SPECIMEN HOC IN AVGVRALE  
IN DEVOTISSIMAE MENTIS ET SVMMAE REVERENTIAE  
TESSERAM  
VENERABVNDVS CONSECRAT  
ET  
SE SVAMQVE FORTVNAM  
REVERENTER COMMENDATVRVS

D. D. D.

DEVOTISSIMVS ET OBSEQUENTISSIMVS

CVLTOR

PHILIPPVS CASPAR JVNGHANSS.



## PROLOGVS.



um ita sim, annos circiter quatuordecim, in hac famigeratissima academia versatus, ut, iactis vniuersae medicinae fundamentis, maximam mei temporis partem rei herbariae addiscenda docendaeque impenderim, atque me primo quidem in ea vir illustris *Frider. Wilhelmus a LEYSSE R*, eximius florae halensis auctor, erudierit, dein vero maiora enitenti ausplicata quaevis acciderint - vrbs idonea; indefessum *LEYSSERI* me instituendi studium; fauor virorum illustrium *BOEHMERI*, *EBERHARDI* & - quorum

A 3

rum mortem lugemus - BÜCHNERI & IVNCKERI,  
 quo factum, ut hortum, plantarum culturae dicatum, fre-  
 quentandi, colendi curandique data mihi fuerit facultas;  
 commercium litterarum, quod mecum inire dignati me  
 sunt LUDWIGIVS & GLEBITSCHIVS, quorum  
 illustria nomina sera audiet posteritas; singulare denique  
 optimorum mihique amicissimorum iuuenum in me stu-  
 dium, quo du<sup>xi</sup>ti censuere, non adeo me esse in ea, quam  
 dixi, Scientia rudem, quin possent, inde a mea quali-  
 cunque institutione, quidquam in suos usus convertere -:  
 e re mea fore credidi, si, pro gradu doctoris disputatu-  
 rus, nonnulla, quae ad scientiam vegetabilium spectant,  
 momenta spenderem, in primis vero floram nostram,  
 vberima, ad id persequendum, occasione data, ditarem;  
 sperans sic fore, vt & usibus meis inseruirem, & maecena-  
 tibus, qui sua me gratiosa commendatione dignum iudica-  
 runt, specimen acquisitae doctrinae exhiberem. Stetis-  
 sem certe in hoc proposito, nisi cogitasse, eius indolis  
 materiem ideo esse paullulum a scripto academico remo-  
 tam, quod dubiis vix illis relinquit locum. Placuit ita-  
 que, illis in tempus magis opportunum dilatis, de *nucis*  
*vomicae* & *corticis hippocastani* virtutibus differere, quae  
 certe materies nec in re medica inutilis existit, nec adeo  
 est a re herbaria aliena, vt ne possim in eius messem fal-  
 cem immittere.

## I.

## N V X V O M I C A .

## §. I.

*Character botanicus.*

**L**icet nux vomica, inde iam a longissimo tempore, medicis nota fuerit, & in officinis pharmaceuticis exstiterit: attamen magnas quondam, character eius botanicus, eos inter, penes quos erat, eundem stabilire, excitauit turbas, iis cum de planta, e qua prouenit, tum de parte, quam illius constituit, disputantibus. So- pitae sunt istae lites recentiorum botanicorum industria. Placuit his, eam dicere semen plantae cuiusdam, quam ad Strychni genus referunt. Denotat autem *Strychnos* eiusmodi plantarum genus, quod potissimum *perianthio quinquepartito, corolla quinquefida, bacca uniloculari, cortice lignoso & stigmate crasso* a reliquis congeneribus discrepat.

De classe & genere pluribus confer. LINNÆVS (*gen. plan-*  
*tar. p. 100. n. 253. edit. VI.*). LUDWIGIVS (*definition. gener.*  
*plantar. a BOEHMER. edit. p. 43. n. 133.*). GLEDITSCHIVS  
*(Systema plantarum a flaminum situ p. 214. n. 896.) &c.*

*Nomina specifica huius plantae habentur sequentia:*

*Strychnos Nux vomica* foliis ouatis, caule inermi. LINN. sp.  
*plant. pag. 271. n. 1. edit. II. Ej. flor. zeyl. p. 37. n. 91. Ej. Ma-*  
*ter. med. p. 26. n. 77.*

*Strychnos foliis quinqueneruis.* WACH. *vltrai. 32.*

*Nux vomica officinarum.* BVRM. zeyl. 171. BAVH. pin. XII. RAI.  
*biflor. II. 1814. DAL. pharm. 357. CORD. bifl. 194. MATTH.*  
*comment. 225. TABERN. biflor. 1334.*

*Nux*

*Nux vomica.* P A R K. 1601. G E R. 1546.

*Nux vomica vulgo offic. compressa, birsuta.* B A V H. hif. I. 339.  
*Nux Metel vulgo.* C A E S A L P. Syſt. 84.

*Colubrini ligni tertium genus in Malabar.* B A V H. pīn. 301.  
*Colubrinum lignum CL V S I I,* Pao de Cabra dictum, forte tertium  
Acostae. B A V H. hif. II. 173.

*Solanum arboreum indicum maximum, foliis Oenopliae s. Napaeac  
maioribus, fructu rotundo, duro, rubro, Jemine orbiculari,  
compresso, maximo.* B R E Y N. prodri. II. 92.

*Cucurbitifera Malabariensis,* Oenopliae foliis rotundis, fructu  
orbiculari, rubro, cuius grana sunt Nuces vomicae officina-  
rum. P L V K N. almageſt. p. 124.

*Caniram.* R H E E D. malabar. I. p. 67. t. 37.

*Malus malabarica,* fructu corticosa amaricante, semine plano,  
compresso. R A I. hif. II. 1661.

*Ghodbakadura.* H E R M. Zeyl. 41. german. Krähenauge, Gränaugen,

*Arbor* ingentis altitudinis. *Caudex* descendens crassus,  
lignosus; adscendens duarum orgyarum ambitu, erectus, ramis  
sparsis, extimis tuberculis notatis. *Folia* alterna, petiolata, oua-  
to - acuminata, integrerrima, prona parte nervis quinis longitu-  
dinalibus praedita. *Flores* racemoſi, parui; corollis vireſcentibus.  
*Bacca* globosa, aurantii coloris, dura, glabra, fragilis, in cuius  
pulpa candida *ſemina*, (nuces vulgo), orbiculata, plana umbili-  
cata, cinerea, pilis radiantibus vefita. Tota planta amarissima est.

Habitat in Indiae, Malabariae, Zeylonae arenofis: floret  
Iul. & Auguft, nec quantum mihi notum, luc usque europaeos  
hortos saturauit. \*)

\*) Verum lignum Colubrinum non ex hac arbore, ut olim quidam putaverunt,  
sed ex alia specie obtinetur, quae est *Strychnos colubrina*, foliis ovatis acu-  
tis, cirrhis simplicibus. L I N N. Sp. plant. ed. II. p. 271. n. 2. Ej. mater.  
med. 78. Ej. amoen. acad. 2. p. 119.

§. II.

---

### §. II.

*Nux vomica venenum & remedium censetur.*

Esse nucem vomicam certissimum quadrupedibus, qui clausis oculis nascuntur, felibus nempe, canibus, gliribus &c. vt & avibus quibusdam venenum, neminem fugit, estque in vulgo etiam notum \*). Quod homines vero spectat: vim eius venenosam affluere quidam, aliis eandem negantibus. Et Arabes quidem, qui primi illam commendarunt, vim ei alexipharmacam tribuere, digna ideo iudicata, quae, regnante MAXIMILIANO PRIMO, compositionem famosi quondam, in pefcis cura, *electuarii de ovo* ingrediatur. Postea non in pefte tantum, sed etiam in gonorrhœa virulenta, cephalalgia, hydrophobia, febris intermittentibus, tam tertianis, quam quartanis, colica, inque morsu serpentis cuiusdam, *Cobra Cabella vulgo dicti*, di laudata inuenitur \*\*). Quae vero omnia, licet ab uisu rerum profecta, alii sic accipiunt, vt ea aut ad projectas ampullas referant, aut non tanti momenti esse censeant, vt adspersam nuci vomicæ venenosam maculam satis queant ablueret, iudicantes ideo, decere prudentem medicum, nucem istam, in tanta præprimis saluberrimorum remediorum copia, a praxi medica remouere, adque dubia saltim remedia ablegare. Ne autem quidquam videantur optimi viri, quod sit ab omni veritatis specie alienum, affirmare: ad in-

\*) WEPFER de *Cicuta aquat.* p. m. 194. seqq. GEOFFROY Mater. med. edit. a LUDWIGIO II. pag. 664. seq. IOAN. RAIJ Histor. plant. Tom. II. p. 1814.

\*\*) GEOFFROY l. c pag. 663. seqq. Illustr. b. m. BÜCHNERI Fundam. Mater. med. pag. 525. SCHVLZII thes. de Mater. med. pag. 404. ETVS DEM prælect. in dispens. Brandenb. ad Elecl. de ovo. VOGEL hist. Mater. med. p. 274. MINDERERI tract. de pestilentia. p. m. 217. STENTZEL Differt. de anodynorum virtutibus venenorum. Vitemb. 1735. n. XXVI. MONTIN Diss. de Medicina Lapponum Lulenium. Lond. 1751. RHEED. malabar. Tom. I. pag. 68. & plures.

infelices provocant passim observatos nucis vomicae effectus. Sic MATTIOLI vtuntur casu, referentis, mulierem iam senescentem parca nucis vomicae quantitate esse extinctam \*); monent quoque, HOFFMANNVM \*\*) narrare, praegressis anxietatibus summis mortiferam extitisse nucem vomicam puellae decem annorum, cui quindecim eius grana, ad pertinacem vincendam quartanam, duabus vicibus propinata fuerint; vrgent etiam Pauli de SORBAIT edictum, quo constitit, temulentos factos esse & vomuisse in peste viennensi, qui electuarium de ouo aut ipsi similia usurparunt \*\*\*); addunt denique, ab yslu ligni colubrini, ad cuius vim nux vomica accedit, tremores, stuporem & fatuitatem obseruata esse \*\*\*\*). Sed potest ad haec quam optime responderi: esse scilicet vel innocentissimum remedium eam naturam, vt imprudenter adhibita, noceant; heroica in primis medicamenta medium tenere venena inter & saluberrima remedia; malos vomicae nucis effectus spem potius excitare, fore, vt ea, prudenter exhibita, summum in summis malis remedium existat; referre SCHVLZIVM l. c., medicum quandam Silesium filio suo, adolescenti duodecim annorum, cum vermes epilepsiae chronicae caussam subesse suspicaretur, nucis vomicae scobem, ab exigua quantitate incipiendo, vsque ad decem grana innocue dedisse, eundemque idem in aliis expertum esse; quandoque corpora, ab omni venenosa labe aliena, male a quibusdam naturis ferri; tentamina demum, ab illuftri BUCHNERO meque capta, docere, nucem vomicam tutissimum, quandoque etiam, in grauibus morbis, optimum esse remedium. Referam haec, missis iam istis nucis vomicae virtutibus, quas ipsem expertus non sum, quas tamen nolo in dubium ideo vocare.

## §. III.

\*) CRANTZ Mater. med. &amp; chir. III. p. m. 54.

\*\*) Medic. rat. system. II. pag. 283.

\*\*\*) VOGEL l. c.

\*\*\*\*) RAYVS l. c. p. 1808.

Imp. 20. Oct. 1711. §. III. b. 1. a. 2. v. 1. l. 1. 1. 1. 1. 1.

*Obseru. de iſu nuc. vom. in malo hypoſch. & hysteric.*

Ea mihi, inde ab ineunte vita academica, contigit felicitas, ut illuſtr. b. m. BÜCHNERI hospitio gauderem. Naectus hinc occasionem, eamque, cum quotidie viro immortali adfuerim, frequentem, ea auxilia, quibus, ad hos illosue morbos proſligandos, vtebatur, cognoscendi, & praetica eius confilia in succum & sanguinem convertendi: accidit quoque, vt plus vice simplici, viderem, virum illuſtre effentiam quandam, quam ipſe parabat, eximio cum fructu, in malo tam hypochondriaco, quam hysterico propinare. Amarissima apparebat gustu explorata, adeo, vt nil, ad quod eam referrem, detegere potuerim. Nouitatis ergo, in re utili, omnino studiosus, rogabam *ipſum*, velit mecum modum, hanc effentiam conficiendi, beneuole communicare. Annuit voto vir facilis & humanus sine mora, deditque sequentem. Recipientur nubes vomicae; separentur villi, nucleo exterius adhaerentes; torreantur moderato carbonum igne, vt brumen induant colorem; nunc in pulverem redigantur, cui, usque ad ſufficientem humectationem, oleum primo tartari per deliquium adſpergatur, dein vero, humiditate iterum, in loco calido, abacta, spiritus vini rectificatissimus adfundatur, quo mediante, suero more, effentia paretur. Solebat hanc, pro rerum, quae circumstabant, diuerſitate, omni biorio aut trihorio, ad guttulas quadraginta quinque, ex aqua vel etiam infuso florum chamomillae, præbere. Cognita nunc eius effentiae indole, vestigia viri venerandi ſequenda esse duxi, atque, non sine laetitia, excellentem eius, in praedictis malis, virtutem intellexi. Numquam me, quando adhibebatur, fecellit; numquam etiam mali quidquam ipſi ſuperuenisse obſeruaui, ſi modo ab unico recesseris caſu, quem dicam. Erat femina, de summa hystericorum dolorum atrocia conquerens. Dabam ipſi, nimis forſitan liberali manu, ſingulis horis effentiae nucis vomicae praescriptam quantitatem. Leniebantur

inde

B 2

inde quidem dolores, sed accedebat affectus vertiginosus, qui vero & levis erat, & per breve tantum tempus durabat.

§. IV.

*Observ. de vſu nuci vomic. in affectibus verminosis.*

Vir, annos triginta duo natus, matrimonii vinculo non adstrictus, spongiosi corporis habitus & temperamenti phlegmatici, duris laboribus, inde a iuuentute, adsuefactus, nuncque etiam, ob muneris, quo fungitur, rationem, vitae mobili deditus, optima semper erat, in tanta rerum perficiendarum frequentia, sanitate vſus, placido quoque somno bonoque appetitu, ei bis per diem, vt mos fert, satisfaciens, gauſus. Cum vero prandens & coenans non parcam vini rhenani cafeique copiam ingurgitare solitus esset: accidit hinc, vt, ante triennium, de premente, in ventriculi regione, dolore & difficultiori respiratione conqueri coepit. Leviora haec primo exſtitere, poſt aliquam eriam temporis intercapedinem euanida reddita, dein vero in dies magis magisque dolor increbuit, modo scrobiculum cordis, modo vmbilici regionem, modo dextram sinistramve abdominis partem occupans, atque aegrum, iejuno maxime ventriculo, affligens, accendentibus ad ipsum vertiginosa quandoque affectione, alvo inordinatus soluta & ciborum ſemicoſtorum excretione, vigente interea appetitu, quandoque etiam nimio. Deuorata incassum ſat magna medicamentorum, ab aliis commendatorum, copia: me demum accedebat. Suadebam ipſi, velit eſſentia nuci vomicae, quater per diem, ad quinquaginta guttulas, aqua dilutas, vti, quauis vero ſeptimana pilulis duodecim, ſequenti ratione compositis: Rec. Gummi ammoniaci, in aceto squillitico ſoluti, ſaponis veneti, reſinae ialappae ana ſcrupulum vnum, extracti nuci vomicae reſinofi ſcrupulum dimidium. M. F. cum eſſent. succin. pil. pond. gr. vnius, obduc. argento. D. Videbantur primo, ab his remedii, dolores exacerbari, ea tamen melius poſtea ferebat, cum, me mo-

nen-

nente, vasculum, lacte plenum, interdum ebiberet, atque strictior rem diaetam obseruaret. Euenit autem, ut, elapsis circiter, inde ab vsu medicaminum, duodecim diebus, cum mane aluum deponerer, taeniae partem, duas vlnas cum dimidia aequantrem, euacuaret, cui etiam similem excretionem, per sedecim subsequentes dies, quotidie obseruabat, doloribus simul, qui eum ante torquebant, primo remittentibus, dein sic sopitis, ut non redirent.

Ad lumbricos enecandos essentia nucis vomicae non minus vsus sum. Neque spes fecellit.

### §. V.

*Observ. de vsu nuc. vom. in febr. intermitt. & sudor. pellend.*

Salubris plantarum amararum, in curandis febribus intermittentibus, vsus me excitabat, ut nucem quoque vomicam tentarem. Euentus spei respondebat. Enim uero medebar ea, praemissis generalioribus, febribus tam tertianis, quam quartanis; nec poteram obseruare, mali quippiam inde accidisse aegris.

Denique, plus vice simplici, obseruauit, ab vsu nucis vomicae sudores validius pelli.

### §. VI.

*Experimenta, quae analysin nucis vom. chemicas spectant.*

1. Nuces vomicae, tam sibi relictae, quam contusae, rafae, cum aqua ebulliente tractatae atque tostae, nullum odorem spirant, qui singularem virutem proderet.
2. Halitum, quem nuces vomicae, mediante aqua ebullientes, emittunt, plus vice simplici naribus attraxi; nec potui obseruare, singulare inde mihi phaenomenon continguisse.
3. Nucis vomicae purissimae, tostae & in puluerem redactae, vniciae dimidiae adfudi spiritus vini rectificatissimi vncias sex; exposui massam digestioni, per viginti quatuor horas duranti;

- ti; alieno nunc colore sat impregnatum spiritum effudi, & residuae massae spiritus vini quatuor vncias denuo addidi, huic massae idem, quod dixi, digestionis tempus concedens; quo tempore elapsō per filtrum eam traieci, priori dein adieci, atque denum eum ipsi ignis gradum admoui, qui, ad expellendum spiritum, sufficere poterat. Impetravi ea ratione extractum resinosum, quod, non computato vasi nimis adhaerente, pondus granorum viginti septem habuit.
4. Massam istam, in filtro relictam (n. 3.), in sufficiente aquae ebullientis quantitate tam diu detinui, donec omnis, qua linguam feriebat, amarities euanuerat. Filtrata dein & inspissata, dedit extracti gummosi vnciam dimidiam cum decem granis.
  5. Superfites in filtro massa (n. 4.) bruni erat coloris, infipida, ponderans torrefacta scrupulos quatuor & grana tredecim \*).
  6. Nucis vomicae, ei similis, quam n. 3. descripsi, vnciam dimidiam ea quidem ratione cum aqua ebulliente tractauī, qua fieri solet, quando extracta gummosa paramus. Obtinui sic extracti gummosi vnciam dimidiam cum scrupulo uno.
  7. Massae relictae (n. 6.) addidi spiritum vni rectificatissimum. Vix tria quatuorue grana soluta tenuit \*\*).
  8. Residua pars (n. 7.) ad eam accessit, quam dixi n. 5., ponderans torrefacta scrupulos quatuor, grana septem.

9.

\* Mirabuntur forsitan nonnulli, me meis in experimentis, si omnia recte computentur (3. 4. 5.), quantitatem impetrasse, vnciam dimidiam longe excedentem. Quos vero rogo perpendant 1. extractis nucis vomicae sat insigniem adhuc fluidi copiam inhaerere. Extracti gummosi, recte alias parati, drachma vna, cum leniori igni exponeretur, plus quam scrupulum vnam perdit. 2. idem de puluere relicto dici debere. 3. haecque eo maiorem attentionem mereri, quo certius est, nucem vomicam, tostioni expositam, aquas omnes particulas amittere. Nucis vomicae drachmae decen, tostioni subiectae, relinquunt vnciam tantum vnam.

\*\*) Videtur ergo omnis nucis vomicae resina in aqua solui posse.

9. Vtrumque quidem nucis vomicae extractum amaritie longe? quam nux vomica, maiore linguam ferit; vt tamen resinosum gummoso, ea in re, palniam facile praeripiatur.

10. Dixit NEV MANN V S, dimidiad nucis vomicae partem sistere terram insolubilem \*). Cui asserto cum repugnant, quod miratus sum, experimenta hucusque commemorata: credidi, hanc diuersitatem esse in tostionem reiciendam, qua ego usus sum, NEV MANN V S autem minime, commendans saltim, vt nux vomica in pulverem facilius comminatur, non tostionem, sed rasuram. Sumsi itaque nucis vomicae, a villis liberae adhaerenteque lanugine, & rasae drachmam vnam. Paraui inde extractum gummosum (n. 4.6.), cuius adeptus sum drachmam vnam, grana quinque. Massa residua insipida fuit, sed grisei coloris atque tenacioris cohaesitionis. Abacta per ignem aqua, adhuc adhaerente, scrupuli vnius & trium granorum pondus habuit. NEV MANN V S itaque calculus nimium a veritate recedit.

11. Cogitau quoque de educendo sale essentiali. Enim vero nucis vomicae eam quantitatem, quae quartam librae partem aequat, per integras sex horas, in mortario lapideo, cum aqua triuvi, massamque dein filtratam &, sueto more, euaporatam, crystallisationi, quam dicunt, frigido in loco, exposui. At nullum potius saltem obtinere, licet, vice simplici non contentus, massam frequentius soluerim, colauerim & inspissauerim. Mansit semper ut solutum in aqua gummi.

### §. VII.

#### Corollaria.

E quibus (§ antec.) maxime colligitur

1) Esse nucem vomicam corpus vegetabile, quod, praeter aquam aeremque, ex copiosissimo gummi amaro, parciori terrae & minima amarissimae resinae copia confatum est.

\* Praelect. chem. p. m. 957

- 2) vim eius ab extracto tam gummoso, quam resinoso, maxime vero ab hoc repeti debere.
- 3) latius esse, in paranda eius essentia conficiendoque extracto, spiritum vini rectificatum, quam rectificatissimum elige, aut etiam sola aqua vti.
- 4) tostione ideo opus esse (§. II.), vt tenacitas terrae tollatur.
- 5) posse nuci vomicae omnes virtutes tribui, quae plantis amissimis adiudicantur.
- 6) oportere nos ea sic vti, vt vel in essencia, vel in elixiriis, vel in pilulis aut similibus formis exhibeat, quibus effici potest, vt sua amaritudine linguam minus afficiat.

### §. VIII.

#### *Modus agendi in casibus supra descriptis.*

Plantae amarae nervos fibrasque musculares irritant, fluida resoluunt, sanguinem commouent & bilis vices sustinent \*). Nux itaque vomica, sua prae cereris amaritatem emens, eosdemque ideo effectus exsereens, malo hypochondriaco & hysterico, verminosae colluuiet ac febribus intermittentibus inederi sudoresque pellere valebit.

Sunt, qui vim narcoticam, opio analogam, nuci vomicae adsignant. Quae virtus si posset recte ipsi tribui: nouam omnino eius, in tollendis tam febribus intermittentibus, quam malo hypochondriaco & hysterico, actionem indigitaret. At enim vero videtur mihi nux vomica a remedio narcotico quam maxime recedere. Enim vero quae in huius rei probationem afferri forte possent, coma vigil, fatuitas, stupor, insignis debilitas & similia, ab vsu nucis vomicae profecta, non tuto satis narcosin euincunt, cum ab irritatione neruorum, labe primarum viarum, quam nux

\* Nemo non tristia illa mala novit, quae homini, ob bitem, vel nimis effusam, vel acriorem, contingunt. Numquid ergo nux vomica, bratus quisbusdam, simili ratione, venenosa existit?

vomica infert, atque commotione sanguinis prouenire queant. Praeterea epilepsia & conuulsiones, quae vt plurimum irritationis potius, quam debilitate neroorum actionis, effectus sunt, frequentissimae sunt assumtae a brutis nucis vomicae pedissequae. Non ignoro equidem, opium narcosin efficere, licet epilepsias non minus excitat. Sed nux vomica cum opio nequit comparari, cum hoc irritet, ob acre in eius mixtione contentum, simul vero vim neroorum frangat, ob phlogiston, neruei fluidi elasticitatem inimicum \*); nux autem vomica, vrpote volatili principio destituta (§. VI. n. 1. 2.), sola feso irritatione huiusque sequelis manifestare queat. Quibus licet ita comparatis, tantum tamen abest, vt, negata vi nucis vomicae narcotica, censeam, non posse eam in veram mali hypochondriaci & hysterici naturam, auctam nempe alienatamque primarum maxime viarum sensibilitatem \*\*), agere, vt potius credam, vel inductam illam ventriculi neruis irritationem efficere posse, vt ea deleatur, sopiatur. Ne vero multus sim, filum hic abrumpo.

## II.

## CORTEX HIPPOCASTANI.

## §. IX.

*Occasio virtutem corticis hippocast. indagandi.*

Cum, ante hos sex &, quod excurrit, annos, obseruarem, usum corticis peruviani magis magisque caput extollere & increbescere, eiusdemque simul & carum pretium & frequentes, a malignis hominibus patratas, adulterationes perpendem: serio de

\* ) Confer. hic illustris viri Ioan. Petr. EBERHARDI Dissert. de actione narcoticorum in fluidum nerueum. Hal. 1762.

\*\*) Illustr. EBERHARDI consp. medic. theoret., Part. II. pag. 409. seqq. Robert Whytt von den Nerven Krankheiten.

C

de inquilino, ipsi aequiparando, cortice cogitare coepi. Auspicio incidi in corticem *fraxini* tenuiorem, a cuius, in febribus intermittentibus, vsu haud spernendos obseruauit effectus. Accidit vero, vt, cum illo vterer, *promptuarii hamburgensis*, quod eo tempore typis exscribebatur, tomum dicimum nonum euoluerem, sperans, nonnulla me inuenturum, quae in vsus meos conuertere possem. Neque spe excidisse gaudeo. Enim vero exstar ibi obseruatio de apibus, flores hippocastani quaerentibus, cuius occasione illustris KAESTNER commemorat haec: Es wird versichert, die Rinde dieses Baumes sollte, nur in stärkerer Dosis, die Wirkung der amerikanischen Fieberinde thun \*). Quae, ab eximio viro allata, cum legissim: illico constitui, vires hippocastani tenetare. Tempore itaque verno, arbore folia nondum explicante, non parcam tenerioris, quo cingitur, corticis gemmarumque, quibus superbit, quantitatem collegi, exsiccata in pulverem redigi, quem dein, ductu illustris b. m. BÜCHNERI, propinuai in morbis, quos confignabo, si, notato chartere botanico, historiam eorum praemisero, quae, de viribus hippocastani medicis, hucusque constituisse scio.

## §. X.

*Historia huius arboris.*

Historiam huius arboris quod attinet, eam ex recentioribus rei herbariae scriptoribus petere debemus; siquidem veteres hanc plane ignorarunt, quod partim ex CLVSII & MATTHIOLI scriptis, partim etiam ex libris hortulanorum praeeriti seculi probari potest; in quibus nulla eius facta est mentio. CAESALPINVS quidem putauit, PLINII myrobalanum esse, folio heliotropii herbae simili; sed quae, vt cum CHABRAEO loquar, cum heliotropio similitudo? Habitat autem, secundum CHABRAEVM, qui etiam Florentiae in hort. Magn. Duc. Hettrur. eam se vidisse narrat, in Constantinopolis vicinia & Creta, atque in Iense

Maio

\*) Hamburg. Magaz. 19. Band. Seit. 116.

Maio floret. Constantinopoli Viennam, ut arbitratur, circa annum 1550. venit, seu, ut CLVSIVS vult, circa annum 1576. & abhinc in alias provincias europaeas dein delata est. Nunc in Germania, Hollandia, Anglia etc. abunde colitur, & potissimum in viis publicis, ad ambulacra umbrosa & viridia struenda, usurpat, siquidem hyemem, etiam rigidissimam, patienter fert, nec facile perit. Lignum, quo confitat, tiliac ligui instar, ex fibris admodum teneris conflatur, &, ad tornandum & lignea opera facienda, idoneum esse deprehenditur; verum nec iniurias aeris diu fert, nec satis, ad calefacienda hypocausta, aptum est.

### §. XI.

#### Character botanicus.

Nomen *hippocastani*, quantum scio, primus composuit T O V R NEFORIUS, quod dein BOERHAAVIUS, LVDWIGIVS & alii retinuerunt. LINNAEVS autem, cui hoc nomen confarcinatum non placuit, pro sua in mutandis nominibus licentia, qua saepe usus est, *aesculam* (*esculum*) veterum adsumit, cum castanea & fago, quod fructus figuram spectat, affinis videatur, quae omnes apud veteres sub *quercus* nomine militarunt. Secundum LINNAEI methodum flos huius arboris ad rarissimos illos heptandrios, monogynios numeratur; qui vero, si accuratius inspiciatur atque examinetur, ob flosculos superiores masculos, magis ad polygamiam amandari deberet. Ceterum gauder periantbio monophyllo, quinque dentato, ventricoso, corolla pentapetala, inaequali, capsula triloculari, disperma \*).

Pluribus de Class. & Gen. confer. LINNAEVS (*Gen. plant.* p. 183. n. 452. edit. VI.) LVDWIGIVS (*Definit. Gen. plant.* a. BOEHM. edit. p. 330. n. 818.) GLEBITSCHIUS (*System. plant. a situ staminum* p. 80. n. 331.) etc.

### C 2

### No.

\* De hoc plantarum genere adhuc altera species nota est, *Aesculus Pania* floribus octandris, quam autem, cum non ad scopum meum pertineat, praefermitto.

*Nomina specifica sequentia sunt:*

*Aesculus Hippocastanum floribus heptandris.* LINN. *spec. plant.*  
488. edit. II. *Hort. vpf.* 92.

*Aesculus.* *Hort. cliff.* 142. ROYEN *lugdb.* 463.

*Hippocastanum vulgare.* TOURNEE. *inf.* 612. BOERH. *lugdb.* 2.  
p. 230.

*Castanea equina.* CLVS. *bif.* I. p. 7. *pan.* 5. *append.* alt. 3. CAE-  
SALP. *syst.* 79. DALECH. *bif.* 33. DODON. *pempt.* 814. TA-  
BERN. *bif.* 1385. *icon.* 972. MATTH. *comment.* 212. LO-  
BEL. *aduers.* 433. CHABR. *sciagraph.* 58.

*Castanea equina folio multifido.* BAVH. *bif.* I. p. 128.

*Castanea folio multifido.* BAVH. *pin.* 419. german. wilde Kastanien,  
Koßkastanien.

Arbor. *Caudex* descendens crassus, diffusus; *ascendens* ad  
vnius vel duarum orgyarum ambitum, erectus. *Rami* brachia-  
ti, *ascendentes*, quorum cortex extus cinerei, intus ex flavo  
ferruginei coloris. *Folia* digitata, petiolata, foliolis septenis, obo-  
natis, acutis, ferratis, supina parte obscure viridibus, prona pale-  
lide virescentibus, neruis transuersis parallelis, basin versus to-  
mento ferrugineo vestitis. *Flores* racemosi, erecti. *Corollae* al-  
bae, aut incarnatae, subrotundae, patentes, margine plicato vnu-  
dularae, pentapetalae, vnguis inaequaliter coloratis, ex flavo  
rubentibus. *Capsula* coriacea, subrotunda, muricata. *Semina*  
subglobosa, compressa.

### §. XII.

*Observata* Clar. ZANNICHELLI.

Primus, ni fallor, qui, de vsu hippocastani medico, disserit, multusque, in eo commendando, fuit, nominandus est *Ivan. Iac. ZANNICHELLI*, non incelebris apud Venetos pharmaco-  
pola. Is enim litteras misit, italica lingua conscriptas, ad celeber-  
rium

rimum virum *Iul. PONTE DERAM*, botanices in vniuersitate Patavina lectorum publicum, quibus de hippocastani virtutibus exponitur. Itae sunt Veneris anno 1733. publici iuris factae \*). Praemissis plantae charactere botanico vsque, in equorum asthmate, monet, medicum quandam parisiensem, CORNEIL, fructum hippocastani, ob sternutationem, quam mouer, salubre, in hemicrania & capitis aegritudinibus, remedium habuisse. Fatetur dein, se sapore acerbo & adstringente corticis hippocastani, quo ad peruvianum accedit, inductum esse, vt crederet, illi non minores, quam huic, vires inesse. Chemica nunc tentamina commemorat, quae cepit. Coricis ergo hippocastani, in puluerem attriti, vnciam vi trea indidit retortae, ignem admouit, atque ex arena prius aquam destillavit insipidam merumque phlegma, sed, aucto ignis gradu, oleum proliuit foetidum supernatansque, neque salis essentialis \*\*) parum, cuius virtusque singulum pondus semiunciam adaequauit; residuum quoque calcinatum, elixiuatum & euaporatum salis fixi dimidiad drachmam praebuit. Eiusdem pulueris semunciam putrealis aquae octo vnciis addidit. Post quadrantem horae aqua quidem sat clara, sed obscuro simul & subrubro quasi quodam colore tincta apparuit, linguam gustata amaritie sua feriens, atque euaporata semidrachmam salis solubili & amarissimi in fundo vitri re linquens. Coricis porro hippocastani, in puluerem redacti, semunciam octo vnciis alcoholi vini admiscuit. Menstruum, post di midiam horam, perquam clarum, simulque pallescente flavo colore tinctum reperit; aliquo vero hinc elasto tempore, colorem aureum induit, acerbissimumque est saporem nactum. Cum auctor censeat, hippocastanum ideo equorum asthmati mederi, quod acidum destruat: hinc sine dubio factum, vt, cum isto corice & spiritu vitrioli diluto, pericula quaedam ceperit. Comperit exinde,

C 3

aquam

\*) Conf. *Commerc. litterar. norimb.* a. 1734. p. 75.

\*\*) Qui perpendit gradum adhibiti ignis, is certe non adeo facile concedet, hunc falem effientiam dici posse.

aquam illam acidulatam flavo tingi colore, siumque saporem fere amittere. Tandem etiam cum felle quasdam instituit obseruationes, quae duo maxime, commemoratione digna, docuerunt; corticem nempe hippocastani felli, per aquam diluto, admixtum, viscosas eius secum particulas ad fundum rapere, eundemque summa celeritate fellis liquorem absorbere. Quae cum ita sint, atque cortex peruvianus similia phænomena ostenderit ipsi: hinc concludit, hippocastani corticem ad eum, quem peruvianum dicunt, quam proxime accedere. Aegrae itaque cuidam, quam febris, vomitus bilis, capitidis dolor, anxietas, sitis ardentissima fere opprimebant, finito febri insulso, duas corticis hippocastani drachmas, aquae cardui benedicti quatuor vinciis infusas, propinavit, simulque praecepit, ut post horae spatium, potu refocillante ordinario vteretur aegra. Nulla inde ventriculo incommoda acciderunt, & alius soluta est. Suasit sequenti die, ut mane & vesperi eandem assumeret copiam, atque iterum aluina deiectione lenior successit. Post assumptionem ter repetitam cum sanitate in gratiam rediit aegra. Atque eiusmodi tentamina plura instituit. Tribuit quoque cortici hippocastani, ut peruvianio, vim sedativam, cum in iuuene obseruauerit, saeuissimos ventris dolores, quos vomitus materiae porraceae comitabantur, inde ab vsu corticis hippocastani, cum FRACASTORII diacordio remixti, sublatos esse. Denique corticem hippocastani in pleuritiide, cum antipleuritico quadam datum, optimos exseruisse effectus restatur.

### §. XIII.

*Obseruata Celeberr. MOEHRING.*

Quae (§. ant.) cum commemorata legerit *Celeberr. MOEHRING*, eo adductus est, ut hippocastani corticem tentare, vimque eius antifebrilem experiri cuperet. Non respondebant voto experimenta. De his enim certiores reddens commercii litterarii norimbergensis auctores \*), haec scripsit: *castaneae equinae cortex,*

\*) *Commerc. litterar. norimb. a. 1736. pag. 20.*

tex, aduersus febres tantopere a clar. ZANNICHELLI laudatus, nostris durioribus forte stomachis nimium leuis exsistit. Diuersis enim illius, obseruatis exactissime ab illo praescriptis regulis, temporibus, diuersisque hominibus, sine illa quidem nosca, frustra tamen exhibui. Quid? quod cuidam rbedario macilento, melanabolico, quartana ultra femeſtre ſpatium iam laboranti, septem per vices vncias, febre permanenti, propinaui, quae iſa tamen, cum, elapſo mense, chinchinæ duas vncias ex oenopegi larga quan-  
titate accepifſet, aegrum deferebat.

#### §. XIV.

*Pericula Clariss. PEIPERS & obſeruata celeberr. LEIDENFROST.*

Medicorum ſive ſocordia, ſive fide, quam clar. MOEH-  
RINGII tentaminibus habuere, ſive demum nimio, erga corti-  
cem peruvianum, amore, factum, vt cortex hippocastani, per  
plures annos, neglectus sit. Accidit demum anno 1752, vt, da-  
ta occaſione, in virtutem eius medicam inquirere conſtitueret cele-  
berr. LEIDENFROST. Atque is, etſi non notauerit experi-  
menta, tamen ad minimum viginti homines ſcit, eius uſu a febre  
(intermittente) liberatos eſſe, ſi vnciam eius aut aliquid plus uſur-  
paſſent. Meminit equidem, aliquos ab eo non curatos eſſe, ſed  
id etiam in peruvianis corticis uſu non infrequens eſſe iudicar. Ex  
illo nemo ſe male habuit; aliquoties tamen atui ſignitiem indu-  
xit, quo in caſu ſlimulo rhubarbarino aut aloētico opus fuicit. Com-  
mendat autem corticem hippocastani mediae crassitie, ex ramo  
nec nimis iuene, nec nimis ſene, ſed bene viuido. Demum haec  
adiicit: corticis hippocastani aliquod cannas, quas per tantum  
temporis ſpatium (ab anno 1752. ad annum 1763.) fortuito con-  
ſeruaueram, in manus resumſi, videoque, per undecim hos & quod  
excurrit, annos corticem incorruptum, colore & ſapore conſtan-  
tem maniffeſte. Si autem in puluerem redactus eſt, tam aetatem  
non fert, ſed recens adhiberi debet — Commemoranda denique,  
qui haec debemus, clar. PEIPERS tentamina, quae antisepti-  
cam

cam corticis hippocastani virtutem eiusque mixtionem respiciunt. Ad haec vero redeunt. 1. cortex hippocastani, aequa ac peruvianus, carnem bouinam integrum seruauit. 2. additus carni putridae effecit, vt omnis foetor disparuerit, & fructula carnis, recenti simillima, euaserint. 3. tam cortex hippocastani, quam peruvianus coagularunt vitellum oui, idemque recens conseruarunt. 4. cortex hippocastani feri putredinem, peruviano validius, impediuit. 5. tam bilem, quam crassamentum sanguinis integra conseruauit hippocastani cortex in aqua solutus, simulque crassamenti sanguinis non minimam quantitatem soluit. 6. vicia vna corticis hippocastani extracti aquosi dedit scrupulos quinque & grana septem; quae, cum ulterius spiritu vini extraheretur, extracti spirituosi exhibuit scrupulum unum cum granis duobus; operatione autem inuersa, eadem corticis quantitas dedit extracti spirituosi scrupulos quatuor, grana duo, & ex residuo extracti aquosi scrupuli duo & grana septem redierunt \*).

### §. XV.

*Observata & experimenta celeberr. B V C H O L T Z.*

Digna sunt, quae haec excipiunt, B V C H O L T Z II, viri experientissimi, obseruata \*\*), cum, in his instituendis, secutus maxime sit LEIDENFROSTII vestigia. Praebuit ergo corticis hippocastani pollinem febre tertiana laborantibus, sed incassum; videtur quoque ipsi pars eius lignosa iners esse & superflua, valdeque ventriculo molesta. Infusum huius corticis parum profuit. Extracti usum, cum parum e cortice prodeat, atque ideo nimis sit pretiosum, neglexit. Salem autem essentialiem, methodo Garrayana paratum, quem dicit aquam coeruleo colore tingere, eo

\* Confer. clar. PEIPERS dissert. inaugur. de *cortice hippocastani*. Duisburg. 1763. Eam vir illustris ac celeberr. BALDINGERVS mecum benevolè communicauit, quam ipsi ob caussam publicas gratias ago.

\*\*) Nov. AG. A. N. C. Tom. IV. pag. 264. seqq.

eo magis laudat. Laborabat enim virgo viginti annorum febre tertiana. Praemissa euacuatione primarum viarum, per medicamentum, ex ipecacuanha, rhabarbaro, cremore tartari & pulpa tamarindorum conflatum, propinavit remedium antifebrile, ex drachma vna semis salis corticis hippocastani & vncia vna aquae cinnamomi fine vino confectum, cuius vix dimidia parte, tempore apyrexiae, consumta, febris evanuit, neque alia incommoda damnaque, nisi pedes tumentes, languores, & quae sunt eiusmodi reliquit - Ut antifebrilem, sic antisepticam quoque eius salis virtutem explorauit, comperitque, eam isti tantam fere inesse, quanta sali corticis peruviani ab omnibus concedi solet. Est interea commemoratione dignum, quod caro iam corrupta, per additum ipsi salem corticis hippocastani, emendari non potuerit \*).

### §. XVI.

#### *Observata propria.*

Quibus demum omnibus mea iungere liceat obseruata.

#### *Observatio I.*

Operario, quem tertiana intermittens detinebat, suetis remediis propinatis, hippocastani, in pollinem redacti, drachmam dimidiā, ter de die, exhibui. Minuebatur inde quidem febris; at cum, quamlibet eiusmodi pulueris assumptionem, premens in ventriculo sequeretur dolor, missò eo facto, decoctum curauit parandum ex corticis hippocastani vnciis duabus & salis tartari drachma vna, quibus aquae mensura vna cum dimidia addebatur sic, ut omnia, ad remanentiam vnius mensurae, ebullirent. Eius nunc decocti colaturaē tantum aegro meo quotidie praebui, quantum duo capiunt vascula, e quibus solent infusum herbae

Thée

\*) Plures iam notarunt, antisepticorum duplē debere classēm constitui. Vna complectitur ea, quae putredinē *impedit*, altera ea sub se comprehendit, quae natam eandem *rollunt*.

D

Thée sorbere. Nullum inde dolorem percepit aeger, atque febris, intra sex dierum spatium, cessauit.

*Observatio II.*

Neque tamen, parca ista huius decocti quantitas, minuendis tollendisue febribus intermittentibus, semper sufficit. Faber lignarius febre quartana laborabat. Indicata decocti quantitas, ne minuendae quidem febri, par erat. Cum ipsi vero triplo, dein quadruplo maiorem quantitatem quotidie ingerendam suaderem: minuebatur non solum febris, sed etiam, elapsis decem diebus, plane cessabat.

Pluribus casibus recensendis supersedeo. Numquam me decoctum illud fecellit. Neque etiam, ab eius usu, tumores pedum aut similia mala videre contigit.

*Observatio III.*

Femella, viigesimum primum aetatis annum agens, & chole-  
rico temperamento praedita, incidit, inde ab excitata ipsi ira-  
cundiae caussa, in mentium obstructionem febremque lentescientem.  
Quouis quidem die febris vesperi redit; sudores nocturni compa-  
tuere; vrina superficie pallide coerulecentे recta fuit, sedimen-  
tum ex albo rubescens deponens; corporis marcor in dies increbuit.  
Suasi, vt, ter de die, vasculum, decocto corticis hippocastani  
plenum, ebiberet, duo nempe priora hora tertia & quinta pome-  
ridiana, ultimum hora nona vespertina; mane autem duabus vi-  
cibus, ad quadraginta quinque guttas, mixtura vteretur, quam  
composui ex tinturæ rhabarbari aquosæ drachmis tribus & li-  
quoris terræ foliatae tartari vinosi drachma una; loco demum po-  
tus ordinarii vel tenue avenae excorticatae decoctum, vel aquam  
fontanam, succo citri acidulatam, assumeret. Accidit inde, vt,  
cum tres essent septimanae elapsae, menses, robur dein corporis  
& sanitas redirent.

*Obser-*

*Observatio IV.*

In aegris ex pleuritide & peripneumonia non minus id, quod laudaui, decoctum tentau. Optime fese gefsit, quinquies sexiesue de die ea, qua dixi, copia datum; largam tamen venaefectionem semper praemisi; frequentem decocti emollientis, succo citri acidulati, vsum commendau; utque sputa promouerem, semen cardui mariae, oxymel squilliticum & veronicae aquam adhibui.

*Observatio V.*

Fabro lignario contundebatur brachium sinistrum. Appli- cabatur ipsi decoctum corticis hippocastani, cum aqua calcis remixtum. Evanuit inde inflammatio.

*Observatio VI.*

Puella, cum ipso vulnus, ad suram ortum, male tractaretur, vclus inde malignum concepit. Varia incassum adhibuit. Me demum accessit. Suasi, ut decoctum corticis hippocastani externe adplicaret. Inde medebar vlceri.

## §. XVII.

*Epilodus.*

Quae sequuntur ex his, sponte intelliguntur. Maxime vero colligitur hinc, esse corticem hippocastani, peruviano quidem inferiorem, at huic analogum; quod de gemmis hippocastani\*), verno tempore collectis, non minus valer, sicuti me virus rerum docuit. Chemicis nonnulla experimenta, mixtionem corticis hippocastani spectantia, institui; his vere recensendis, cum ob temporis, tum ob spatii angustiam, non immoror. Videtur interea, tingens hippocastani materies, singulari attentione digna esse.

\* Fructu etiam plebem in phthisi & affectibus hysterics vii, commemorant  
Die Leipz. Intell. Bl. a 1765. pag. 221.

CLA-

CLARISSIMO DOMINO  
**C A N D I D A T O**  
 S. D.  
**P R A E S E S.**

*N*on possum in huius diei festiuitate decesse officio meo praestantissime YNGHANSS! Ad summos nunc ascendis in Medicina honores, quos diu iam propter insignem TVAM diligentiam & acquisitam eruditionem mereris. Non iis es adnumerandus, qui vix per biennium salutata Academia, iam ad doctoris gradum aspirant. Per quatuordecim enim annos versatus es in alma bac nostra Musarum sede, Vsus es ut reliquorum Virorum illustrium, qui hanc nostram Academiam ornant, institutione, ita in primis Illustris b. m. BÜCHNERI instructione & ad praxim medicam manuductione fidelissima. Potissimum autem operam dedisti rei herbariae, imo totum te fere nobilissimo huic studio tradidisti. Quid non poterat expectari a discipulo Illustris & Generosissimi DE LEYSSER? Non fecellisti spem nostram. Per aliquot enim iam annos praelectionibus tuis botanicis utilis fuiisti non sine insigni applausu, studijs Medicinae. Perge in coepio hoc egregio tramite. Perge inuentuti academicae tradere praecpta rei herbariae. Perge borti nostri botanici, cuius administratio, sub mea directione, a Potentissimo Rege nostro clementissime TIBI demandata est, incrementum promovere. Sic utilis eris olim Academiae nostrae & orbi eruditio. Gratulor TIBI ex animo Honores Doctorales, quos cras in TE iussu Gratiost Medicorum Ordinis publice conferam, optoque, ut iisdem quam diutissime in Academiae nostrae utilitatem fuiaris. Coeterum Macennatum Clientelae & Patrocinio TE quam maxime commendo. Vale. Dab. in Reg. Frid. d. 12. Octobr. 1770.

Halle, Decr. 1 1770

V D  
18

ULB Halle  
002 169 55X

3



5b



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Magenta

White

3/Color

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres



DE  
NVCIS VOMICAE  
ET  
CORTICIS HIPPOCASTANI  
VIRTUTE MEDICA

PRAESIDE  
D. IOANNE PETRO EBERHARDO

MEDIC. PHILOS. NAT. ET MATHES. PROFESS. PVBL. ORDIN.

ACADEM. IMPER. NAT. CVRRIOS. ADVINCTO,

ACADEM. ELECTOR. MOGVNT. SCIENT. VTL. SODALI  
ET SOCIET. TEVT. JENENS. MEMBR. HONORARIO,

GRADU DOCTORIS  
PRO  
LEGITIME IMPETRANDO

D. OCTOBR. MDCCCLXX.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

PHILIPPVS CASPAR JVNGHANSS  
ROEMHILDA FRANCVS.

HALAE

STANNO HENDELIANO.